

13

Zahresbericht

über

das Königl. Gymnasium zu Düsseldorf

in den Jahren 1830/31 und 1831/32,

von

J. P. Brewer,
Professor der Mathematik und Physik.

Praemissae sunt
ORATIONES QUAEDAM THUCYDIDIS
ET
COMMENTATIO XENOPHONTIS DE HERCULE IN BIVIO
in latinum sermonem conversae
a
Dr. Chr. Guil. HILDEBRAND,
Professore.

Düsseldorf, gedruckt in der F. C. Dänzer'schen Buchdruckerei
1832.

Schul. Pro.

13

HT008922823



S. Pr. 13
B



08. 16 15

Praefatio.

Quum multa a summis nostrarum scholarum moderatoribus bene et sapienter instituta sunt, tum maxime illud, quod graecorum et latinorum scriptorum lectionem in iis coniunctam semper ac copulatam esse voluerunt. Latina enim lingua quum graecae linguae pulchrae matris pulchra filia sit, cognitio alterius sine altera manca et imperfecta sit, necesse est, discidiumque quasi animi et corporis eum instituere dixeris, qui alteram ab altera sciungat. Quare consuetudine et usu iam diu in nostris scholis receptum est, ut utriusque sermonis scriptores una et simul tractentur, quo alteri ab alteris lucem suam et vim accipient. At non satis habuerunt illi, quos dixi, moderatores, hanc legem praescripsisse, verum iidem etiam monuerunt, ut illi scriptores, qui vel idem vel simile argumentum rerum atque dicendi genus sequuntur, diligenter inter se invicem legendο comparentur. Quare autores atque suasores fuerunt, ut graeci poetae, historici, philosophi cum latini poetis, historicis, philosophis inter se conferantur, ita ut Homerus cum Virgilio, Thucydides cum Tacito, Plato cum Cicerone bene componantur. Quam legem et normam quum nos, quantum fieri potuit, diligenter et religiose sequeremur, quam salubris et apta ea esset, experientia et usu edocti scimus. Fieri enim solet, ut partim iuvenes alteram linguam p̄ae altera contemnant, partim unum tantum scriptorum genus, vel hoc poetarum vel illud prosae scriptorum quam maxime colant et foveant. Unde saepe accedit, ut, qui solos prosae orationis scriptores legunt, plurimos locos e poetis ductos non intelligent, contra, qui unice in poetis versantur, ita paullatim ad carminum modos adhaerescant, ut nil nisi canere velint. Tamen saepius animadvertis, maiore labore neglectam prosae scriptorum quam poetarum lectionem repeti, hominemque, ut ita dicam, mere prosaicum facilius ad poetarum quam mere poeticum ad prosae scriptorum intelligentiam pervenire. Nam qui unice carmina sectantur, similes sunt iis, qui fontis amoenitate capti semper ad eum desident et agrorum fructus negligunt; contra, qui nonnisi prosae student orationi, hi fructuum ubertate contenti laetitiam agrorum minus curant. Ac quemadmodum facile intellectu est, utriusque orationis scriptores quum privata tum publica lectione et institutione coniungendos esse, ita similiter patet, quum satis superque constet, multa et accurata conversione eorumdem in alterutram linguam non solum ingenii vim excitari iudiciique subtilitatem acui, verum etiam dicendi facultatem augeri atque amplificari, saepe multumque graecos scriptores latino sermone, lati-

nos autem graeco explicando esse. Inquirentibus enim nobis omni acie
mentis in eam rem, de qua graecus vel latinus scriptor scripsit, contingit, ut
omnes se ostendant atque occurrant ingenii loci, omnia verba sub acumen
styli subeant et succedant, atque non solum sententiarum copia et ubertas,
pondus ac gravitas, splendor et magnificentia melius cognoscatur, verum
etiam verborum vis et potestas, suavitas et elegantia, flos atque ornatus.
Cuius rei testem habemus gravissimum et locupletissimum Ciceronem, qui
in libris rhetoricae saepe et libere profitetur, se mox orationem summi ora-
toris, Demosthenis, aliis, quam maxime potuerit, verbis recitasse, mox grae-
cas orationes latine vertisse, qua quidem exercitatione ingenium ipsius ad
altitudinem sentiendi et cogitandi excitatum sit, facultas autem composite,
prudenter et apte dicendi mirum quantum aucta. Cuius optimi et praestan-
tissimi quum bene intelligendi tum bene dicendi magistri exemplum secuti,
quum nos nuper Thucydides aliquot orationes latino sermone interpretati
fuerimus, nunc easdem in usum iuvenum illorum, qui his scholis inter-
fuerunt easque serius ocius privatis studiis retractaturi sunt, latinis litteris
consignavimus, sperantes, fore ut utilitatem aliquam ex hac repetitione earum
cipient. Adiunximus iidem interpretationem commentationis Prodi de
virtute et voluptate, cuius accurata cognitio, sive materiam sive formam
spectas, utilitatem pariter atque voluntatem attulerit haud mediocrem.

Archidami, Spartanorum regis,
ad cives suos oratio.

Thucyd. L. I.

C. LXXX. Quum ipse multorum iam bellorum peritus sim, Lacedaemonii, tum
vos, qui eadem aetate estis, eorum peritos esse video, ita ut neque impe-
ritia aliquis rem aggressurus sit, quod quidem multis acciderit, neque quod
bonam eam atque securam existimet. Inveneritis autem hoc bellum, de quo
nunc deliberatis haud levissimum fore, si quis sapienter hoc consideret. Nam
adversus Peloponnesios quidem et urbi vicinos nobis prope aequa potestas
est, et celeriter licet ad quaelibet loca pervenire; sed adversus viros, qui
et terram longe remotam tenent, et insuper rei maritima peritissimi sunt,
et caeteris omnibus optime instructi, divitiis et privatis et publicis et navi-
bus et equis et armis et multitudine hominum, quantam ne una quidem
alia graeca terra habet; qui insuper etiam multos socios tributarios habent,
adversus hos quomodo facile bellum suscipiendum est, et quanam re confis-
sis, imparatis quidem festinandum? num navibus? sed inferiores iis su-
mus; si vero nos exercebimus et apparatum vicissim faciemus, tempus ali-
quod dilabetur. At divitiis? sed multo etiam magis his laboramus, easque
neque in aerario habemus, neque promte de privatis conferimus.

Fortasse eo aliquis confidat, quod armis et copiis iis praestamus, ut C. LXXXI, incursoando terram vastemus. His vero multae aliae terrae sunt, quibus imperant, et e mari ea, quibus indigent, sibi importabunt. Quodsi rursus socios eorum ad defectionem sollicitare conabimur, oportebit nos etiam his classe opem ferre, quum plerique insulani sint. Quodnam igitur bellum nostrum futurum est? Etenim si neque classe superabimus neque iis vectigalia subtrahimus, quibus navales copias alunt, damna faciemus plura. Et hac conditione ne pacisci quidem adhuc pulchrum est, praesertim si videamur controversiarum potius fuisse auctores. Ne enim illa quidem spe efferamur, fore ut cito bellum finiatur, ubi terram eorum vastavimus, Metuo potius, ne liberis quoque id relinquamus: itaque apparet, Athenienses per celsitatem animi neque propter terram suam servituros esse, neque ut imperitos percelli bello.

Neutquam sane vobis auctor sum, ut stolidi ab iis socios nostros laedi C. LXXXII, patiamini, neque insidiantes deprehendatis, sed ut arma nondum moveatis, mittatis autem legatos et criminemini, neque bellum nimis aperte declarantes, neque nos id fieri passuros; atque interea noster exercitus instruatur quum conciliando socios et graecos et barbaros, sicunde alias aut navales copias aut pecuniam acquiramus, (neque vituperandi sunt, quicunque, quando ipsis ut nobis ab Atheniensibus insidiae struuntur, non solum graecis verum etiam barbaris adscitis, salutem petunt) et quae illorum sunt, una nobis comparemus. Atque ubi audiverint legatos nostros, hoc optimum fuerit; sin minus, annis duabus aut tribus praeteritis iam melius instructi, bellum, ubi visum fuerit, iis inferemus. Ac fortasse quum vident nostrum et apparatus et sermones idem illi portendere, facilius cesserint, quum et terram nondum vastatam teneant et de praesentibus rebus et nondum corruptis deliberent. Nolite enim existimare vos terram eorum aliud quam pignus habere et nihilominus, quo magis culta est; cui nos parcere oportet quam plurimum neque ad desperationem adductos magis invictos reddere. Nam si imparati calumniis sociorum adducti eam vastabimus, videte, ne turpitudinem quandam et difficultatem Peloponneso afferamus. Criminationes enim et urbium et privatorum dilui possunt, bellum autem, quod susceptum est ab omnibus ob privatas res, quodque quomodo exiturum sit, scire non datur, haud facile est bene compitu.

Neque cuiquam hoc ignaviae esse videatur, quod multi unam urbem C. LXXXIII, non celeriter invadunt. Sunt enim et illis non pauciores, qui tributa conferunt, socii, atque bellum non tam armis geritur quam pecunia; qua fit, ut arma valeant, praesertim ubi mediterranei adversus insulanos bellum gerunt. Comparabimus igitur nobis primum pecuniam neque sociorum sermonibus prius efferamur. Nos enim, qui eventum rei utrinque quam maxime praestare debemus, etiam per otium iis aliquid prospiciamus.

C.LXXXIV. Quod autem tarditatem et cunctationem in nobis maxime vituperant, id ne revereamini. Festinando enim et serius ad finem pervenietis, quia imparati rem suscipitis atque una liberam et clarissimam urbem per omne tempus inhabitamus. Atque in ea re moderatio maxima prudentiae fuerit. Soli enim ideo quum in secundis rebus non superbimus, tum in adversis minus quam alii cedimus. Neque vero illecebris eorum movemur, qui nos praeter opinionem nostram laudando ad pericula subeunda incitant. Ac si quis criminando nos exagitet, nihilo plus indignati, persuademur. Bellicosi autem atque prudentes propter modestiam sumus; bellicosi, quia pudor temperantiae maxime coniunctus est, pudori autem fortitudo; prudentes, quod contemptum legum minus institutione edocti sumus, et cum severitate modestiores, quam ut iis non obediamus; neque inutilia nimis callemus, ut hostium apparatus oratione pulchra argentes dissimiliter rem aggrediamur; sed arbitramur et consilia vicinorum nostris similia esse et fortunae casus non oratione explicandos esse. Semper autem adversus hostes ut bene sibi consulentes re et facto nos parabimus, neque nobis de iis ut peccaturis spes concipienda est, sed tamquam nosmet ipsi tutelae nostrae consulamus. Nec vero existimandum est, multum differre hominem ab homine, sed fortissimum esse, quicunque angustiis rerum eruditur.

C. LXXXV. Haec igitur instituta, quae partim patres nobis tradiderunt, partim ipsi semper cum fructu servamus, ne negligamus neque festinantes brevi unius diei spatio de multis corporibus et divitiis et urbibus et honore consultemus, sed per otium. Licet autem hoc vobis magis facere quam aliis per potentiam. Ac mittite ad Athenienses de Potidaea, mittite etiam de iis, quas socii sibi illatas esse iniurias dicunt, praesertim quum prompti sint ad respondentum de iure. Adversus eum autem, qui disceptationem iuris offerat, non prius licet velut adversus iniustum prodire. Simul autem appare bellum. Haec enim consilia, quae decernitis, et optima erunt et adversariis quam maxime metuenda.

P e r i c l i s
o r a t i o f u n e b r i s .

Thucyd. L. II.

C. XXXV. Plurimi eorum, qui hoc loco iam dixerunt, eum laudant, qui legi hancce orationem adiunxit, quum praeclarum sit, in honorem eorum, qui bello occisi sepeliantur, eam publice haberi. Mihi autem sufficere videbatur, viris, qui fortes facto exstitere, etiam facto honores haberi, (qualia sunt, quae etiamnum circa huncce tumulum publice apparata videtis) neque in uno viro multorum virtutes pericitari, cui seu bene seu minus bene locuto fides habeatur. Difficile enim est modum in dicendo tenere, ubi aegre vel

opinio veritatis confirmatur. Auditor enim, qui gnarus est et benevolus, facile aliquid parcus, quam ipse vult et novit, dici putarit; contra, qui est ignarus, plus, quam par est, dictum putabit propter invidentiam, si quid supra suam ipsius naturam audiat. Laudes enim, quae aliis tribuuntur, eattenus sunt tolerabiles, quatenus et ipse unusquisque confidat, aliquid eorum, quae audiverit, semet posse perficere; exsuperanti autem invidentes iam etiam fidem non habent. Quum vero antiquis ea pulchre se habere iudicatum fuerit, oportet me quoque huic legi obsequentem operam dare, ut cuiusvis vestrum et voluntati et opinioni satisfaciam quam plurimum.

Ordiar autem a maioriis. Primum enim iustum simulque decorum C. XXXVI. est, hoc quidem tempore hunc iis honorem atque memoriam haberi. Terram enim quum semper iidem inhabitent, successione posterorum usque ad hoc tempus liberam virtute sua nobis tradiderunt. Atque quum illi laude digni sunt, tum multo magis patres nostri. Comparato enim praeter ea, quae acceperant, tanto, quantum nunc tenemus, imperio, id non sine labore nobis praesentibus reliquerunt. Maiorem autem eius partem nosmet ipsi, qui nunc florente aetate sumus, amplificavimus, atque omnibus rebus urbem instruximus, ut et ad bellum et ad pacem maxime suffectura sit. Quorum ego belli facinora, quibus haec omnia comparata sunt, aut si quid nosmet ipsi aut nostri patres barbarum vel graecum hostem nos invadentem propulsavimus, longa oratione quum explicare nolim, omittam. Quibus autem ab institutis profecti eo pervenerimus, et quo reipublicae genere et qua vitae ratione civitas ad magnitudinem evecta fuerit, haec ego quum primum exposuero, iam ad horum laudem progrederi, arbitratus in praesentiis ea neque inepte commemorari, atque multum referre, ut ab omni corona et civium et peregrinorum audiantur.

Civitate enim utimur, quae non aemulatur urbium finitimarum legibus, sed exemplar ipsi potius alicui sumus, quam ut imitemur alios. Et nomine quidem, quia non a paucis, sed a pluribus gubernatur, populare imperium vocatur, commune autem est secundum leges praeter privatas leges omnibus aequale ius, secundum dignitatem autem, ut quisque excellit aliqua re, non tam ob nobilitatem quam ob virtutem in civitate caeteris anteponitur, neque rursus ob paupertatem, quando civitatem beneficio afficere potest, obscuritate generis prohibitus est. Liberaliter autem rempublicam administramus, ita ut, quod attinet ad suspicionem illam mutuam, quae communis vitae negotiorum est, neque irascamur proximo, si quid libidinose facit, neque dolores damni expertes, tristes autem adspectu iniungamus. Liberaliter vero privatim cum aliis versantes civitatis leges ob verecundiam potissimum non violamus, semper et iis, qui in magistratu sunt, obedien-

tes, et iis potissimum legibus, quot partim in utilitatem iniuria affectorum feruntur, partim, licet scriptae non sint, tamen ignominiam afferunt.

C. XXXVIII. At vero etiam animo laborum plurimas remissiones paravimus, certamina quidem et anniversaria sacra celebrantes, privatim autem magnificos apparatus facientes, quibus, quia quotidie voluptatem afferunt, molestia tollitur. Importantur autem propter magnitudinem urbis ex omni terra omnia, et evenit nobis, ut non magis domestico usu, quae hic bona nascuntur, a nobis percipientur, quam quae reliquorum hominum sunt.

C. XXXIX. Differimus autem etiam bellicarum re^m studiis ab adversariis hoc modo. Civitatem enim communem omnibus aperiuius, neque hospites expellendo prohibemus aliquem vel a disciplina vel a spectaculo rei cuiusquam, quam non occultatam quum hostium aliquis viderit, fructum percipere possit, confidentes non tam apparatus et fraudibus quam nostra in rebus gerendis animi fortitudine. Et quod attinet ad disciplinas, illi quidem exercitatione laboris plena statim a pueris in ordinem virilem veniunt, nos autem, licet remissius viventes, nihilominus paria pericula subimus. Argumento hoc est. Nam Lacedaemonii non singuli per se, sed cum omnibus copiis auxiliaribus in terram nostram expeditionem faciunt, nos autem, quum ipsi in finitimatam terram invasimus, haud aegre in peregrina terra cum iis, qui suos lares defendunt, decertantes, plerumque superiores descendimus. Nemo autem adhuc hostis in universum nostrum exercitum incidit, partim quod navali rei una studemus, partim quod nosmet ipsi copiae in multas terrae partes mittimur. Quodsi cum parte aliqua uspiam congressi aliquos e nobis devicerunt, omnes repulsos a se esse iactant, vici autem, ab universis se victos esse. At vero si potius animi remissione quam laborum exercitatione, neque legum potius praesidio quam morum constantia et virtute pericula subire velimus, contingit nobis, ut et futuris malis non ante laboremus, et in mala delati non minus audaces iis, qui semper laborant, inventiamur.

C. XL. Atque quum propter ea urbem dignam esse, quam admireremur, tum etiam propter alia, apparet. Elegantiae enim studemus, sed modum servamus, et philosophamur, neque vero mollitiei nos damus, divitiisque, magis opportunitate rerum fruentes, quam oratione eas iactantes, utimur. At nemini turpe est paupertatem confiteri, sed turpius eam non effugere agendo. Licet autem iisdem privatarum rerum pariter ac publicarum curam gerere, et, qui opicia tractant, civiles res non parum norunt. Nos enim soli et eum, cui nulla harum rerum cura est, non segnem sed inutilem esse censemus; atque nosmet ipsi aut iudicantes aut cogitantes recte de rebus, non orationem rebus damnum afferre existimamus, sed illud potius, non edictum esse prius oratione, quam ad ea, quae facienda sunt, strenue accedamus. Prae-

stamus enim vel eo caeteris, quod et plurimum iidem audemus et de iis, quae suscipiemus, deliberamus; quod caeteris imperitia fiduciam, deliberatio metum parit. Optime autem animo constituti iure ii habendi sunt, qui, quum grata et ingrata quam planissime perspiciant, tamen vel sic a periculis non avocantur. De beneficentia autem secus agimus ac plerique. Non enim beneficia accipiendo, sed dando comparamus nobis amicos. Constantior enim est, qui beneficium dedit, ita ut servet benevolentia sibi apud eum, cui dedit; qui vero beneficium alteri debet, minus constans est, quum sciat, non pro gratia, sed pro debito beneficium se redditum esse. Atque nos soli non tam utilitatis rationem habentes quam libertate freti promiscue aliquem iuvamus.

Atque ut paucis rem complectar, dico et totam urbem Graeciae magistrum esse, et singulos viros atque eundem apud nos ad plurimas rerum species aptum videri, atque cum modestia se quam maxime habilem prae-stare. Quae ipsa praesente tempore non tam ostentationem verborum quam rei veritatem esse, haec ipsa urbis potentia, quam nobis his moribus comparavimus, declarat. Sola enim ex iis, quae nunc sunt, fama sua maior spectatum prodit, et sola neque hosti, qui ipsam invasit, causam indignandi de iis malis praebet, quibus ab ea affectus est, neque subiectis causam conquerendi, quasi ab indignis gubernetur. Magnis autem exemplis editis neque intestata hac potentia relicta, quum aequalibus tum posteris admirationi erimus, ut neque desideremus Homerum laudatorem, neque alium, qui carminibus illico quidem delectabit, ubi vero opinionem rerum veritas confutabit; sed quia universum mare atque terram audaciae nostrae vi aperuimus, ubique vero aeterna poenarum et praemiorum monumenta exstruximus. Pro tali igitur urbe et hi, non eripiendam sibi eam esse rati, fortiter dimicantes occubuerunt, et quemlibet eorum, qui superstites sunt, facile pro ea laborare par est.

Quapropter etiam longiore oratione res urbanas exposui, partim praecipitus, non nobis certamen de eadem re esse atque illis, quibus nihil eorum aequa in promptu est, partim simul laudem eorum, quorum in honorem nunc dico, argumentis illustraturus. Atque summa rei exposita est. Quas enim de urbe praedicavi laudes, eae horum taliumque virorum virtutibus celebratae sunt; atque in paucis e Graecis pariter atque in his dicta factis exaequata videas. Videtur autem mihi ille, quem hi nunc habuerunt, exitus declarare virtutem viri, ac primum non solum indicare, verum etiam postremo confirmare. Nam in iis, qui caetera deteriores erant, bellicam pro patria susceptam virtutem anteponi par est. Nam benefacto malefacti memoriam obruentes civitati publice plus profuerunt, quam privatum ei obfuerunt. Nemo autem eorum divitiarum fructum anteponendo corruptus est, neque spe paupertatis fugiendae, quasi dives futurus, ea vi-

tata periculum detrectavit. Contra quum hostem ulcisci eo potius esse existimarent, atque hoc pulcherrimum esse periculum iudicarent, alteros ulcisci altera expetere cupientes, incertum rei eventum spei commiserunt, fiduciam autem rei, quae ob oculos erat, in semet ipsis ponendam rati sunt; et in defendendo potius ac perferendo quam indulgendo salutem suam positam esse rati, infamiam quidem sermonis effugerunt, mortem autem ipsi obierunt, ac brevissimo fortunae momento, summa potius sperantes quam metuentes, e vita decesserunt.

C. XLIII. Atque hi quidem, quales eos esse oportebat, tales erga urbem se gererunt; caeteris autem maior quidem fiducia votis suscipienda est, nihilo minor autem adversus hostes habenda; et spectanda non oratione solum utilitas, quam quidem nihilo minus apud vos quam apud alios rei gnos dicendo aliquis explicuerit, quum memorat, quantae utilitates hostes propulsando afferantur, sed potius urbis potentia, qualis ipsa est, quotidie consideranda, amor eius concipiendus, et ubi magna vobis visa fuerit, vobis reputandum est, eam audendo atque officium bene intelligendo et in rebus gerendis sibi moderando homines sibi comparasse, et quoties conatu fallerentur, neutquam urbem virtute sua privandam esse, sed munus pulcherrimum ei offerendum. Publice enim vitam profundendo privatum non senescerent laudem acceperunt, atque honorificentissimum sepulcrum iis contigit, non illud, in quo corpora ipsorum potius sita sunt, sed in quo gloria eorum, quoties vel dicendi vel faciendi opportunitas data fuerit, semper memoranda relinquitur. Illustribus enim hominibus quaevis terra pro sepulcro est, et non statuarum solum inscriptio in patria terra eos prodit, verum etiam in aliena terra memoria eorum, nullis mandata scriptis, in cuiusvis potius animo quam monumento viget; quibus vos nunc aemulati, et felicitatem in libertate, libertatem autem in animi fortitudine positam rati, nolite belli pericula contemnere. Non enim infelices aequius vitam abicerint, quibus nulla commodi spes est, quam quibus adversa fortuna rerum in vita adhuc subeunda est, et ubi maxima discrimina rerum sunt, ubi quid offendent. Magis enim acerba magnanimo viro est per ignaviam accepta iniuria, quam mors sensus expers cum fortitudine atque communis salutis spe suscepta.

C. XLIV. Quare etiam vos horum parentes, quotcunque adestis, non tam defleo quam consolabor. Variis enim vitae casibus obnoxios se adolevisse norunt. Felices autem sunt, quibuscumque vel clarissima, ut nunc his, mors evenit, vel, ut vobis, luctus; et quibus vita sic transacta est, ut felicitas et viventibus esset et morientibus. Difficile quidem esse novi persuasu alicui de eo, cuius saepe monumenta in aliorum rebus secundis habebitis, qua quondam ipsi gaudebatis; et dolor non de iis concipitur, quibus quis, nunquam sibi degustatis, privat, sed de iis, quibus, quum frui iis consuesset, pri-

vatur, sed de iis, quibus, quum frui iis consuesset, privatur. Confidere autem eos, qui per aetatem adhuc liberos procreare possunt, oportet, spe quidem alios liberos procreandi suscepta. Nam oblivionem eorum, qui non amplius sunt, nonnullis suboles, quae futura est, afferet; atque duplex inde urbi commodum nasceretur, quod et civibus non orbatur et tuta est. Fieri enim non potest, ut aequum aut iustum quicquam consulant, qui non ipsi committendo liberos aequa periclitentur. Vos autem, quicunque adolescentia egressi estis, maiorem partem vitae feliciter a vobis transactae in lucro deputate, et hanc reliquam brevem futuram esse existimantes, hac defunctorum laude dolorem levate. Solum enim laudis studium non senescit, et in senectute infirma non tam quaestus, uti nonnulli perhibent, quam honor iuvat.

Vobis autem liberis aut fratribus horum, quot adestis, magnum video C. XLV. certamen propositum esse. Defunctum enim quivis laudare solet, et vix vos per exsuperantiam virtutis non modo similes, sed paullo inferiores iudicabimini. Nam livor vivis adversus aemulos est, sed id, quod nobis non adversatur, invicto studio colitur. Quodsi me oportet etiam de mulierum virtute, quot nunc orbae futurae sunt, mentionem aliquam facere, breviter adhortatus rem totam complectar. Nam ubi a pristina virtute non defeceritis, magna vobis laus futura est, nec non ei, cuius de virtute aut vilio quam minimus inter viros sermo erit.

Explicata iam mihi secundum legem oratione ea sunt, quae afferenda C. XLVI. erant, atque reapse ii, qui sepeliuntur, partim celebrati sunt, partim civitas liberos eorum inde ab hoc tempore usque ad pubertatem publice alet, praemiumque certaminum utile quum his tum superstibus horum proponet. In ea enim civitate, ubi civibus maxima virtutis praemia proposita sunt, etiam optimi viri sunt. Iam vero postquam deploravistis, quem deplorare quemvis par erat, domum abite.

Periclis
ad Athenienses oratio.

Thucyd. L. II.

Quum exspectanti mihi, Athenienses, irae a vobis in me natae sunt, C. LX. (intelligo enim causas) tum concionem propterea convocavi, ut commonefacerem vos atque reprehenderem, si quid minus recte aut mihi indignamenti aut fortunae calamitatibus ceditis. Ego enim censeo, civitatem universam bene constitutam plus prodesse privatis, quam ubi, quod attinet ad singulos cives, ea bene floret, universa autem prostrata iacet. Privatus enim homo, cui res prospere succedunt, eversa patria nihilo minus ipse perit, in-

fortunatus autem in fortunata multo magis conservatur. Quando igitur civitas privatos casus ferre potest, singuli autem cives casus istius ferre nequeunt, quomodo non omnes defendere eam oporteat? At cavete, ne, quod nunc facitis, domesticis malis perculti communem salutem omittatis, et me hortatorem belli et vosmet ipsis, qui consensistis, accusetis. Quamquam mihi tali viro irascimini, qui nemine inferiorem me esse existimo, quum intelligendo, quae facienda sunt, tum interpretando ea, quum et civitatis amans et pecuniis invictus sim. Ille enim, qui novit rem, neque vero aperte eam docuit, idem est ei, qui eam neglexit. Et qui utrumque habet, de republica autem male sentit, haud fere aequa utiliter aliquid suadeat. In quo autem etiam hoc inest, pecunia autem vincitur, is haec omnia pro hoc uno venumdet. Quare si mihi haec vel mediocriter prae caeteris inesse rati ad suscipiendum bellum persuasi fueritis, haud ego merito iniuriae culpam sustineam.

C. LXI. Etenim quibus optio data est alias feliciter vivendi, magna stultitia eorum est bellum suscepisse. Si quibus vero necessitas erat aut cedendo statim vicinis parendi, aut suscepto periculo vincendi, ille, qui fugit periculum, eo, qui sustinuit, magis vituperandus est. Atque ego quidem idem sum, neque de sententia mea decedo, vos autem mutatis sententiam, postquam accedit vobis, ut incolumes persuadeamini, afflicti autem poenitentia ducamini; atque consilium meum per iudicii imbecillitatem non rectum vobis videretur, quia molestia statim a quovis persentitur, utilitas autem omnibus nondum patet; mutatione autem rerum eaque repente facta animus vester remissior est, quam qui perduret in iis, quae decrevistis. Servit enim animus ei, quod repentinum, inexpectatum et maxime inopinatum accidit; quod vobis praeter alia maxime in hoc morbo accidit. Tamen quum civitatem magnam incolatis, atque institutis ei aequalibus utentes educati sitis, oportet vos et maximos casus lubenter sustinere et dignitatem non obscurare (perinde enim homines iustum esse putant et accusare eum, qui gloria proposita per ignaviam eam deserit, et odisse, qui confidenter alienam appetit) et deposito privataram rerum dolore communem salutem tueri.

C. LXII. Belli autem laborem, ne magnus ille fiat et nihilo magis eum supereremus, vobis metuentibus sufficient illa, in quibus suspicionem illam saepe alias falsam esse ostendi. Exponam autem etiam magnitudinem belli, quam neque ipsi unquam reputasse videmini, quum vobis datum esset, neque ego in superioribus sermonibus explicui; neque nunc ea oratione usus essem, quae magnam speciem ostentationis habeat, nisi percultos vos praeter modum viderem. Vos enim arbitramini, vos sociis tantum imperare, ego vero declarabo e duabus rebus, quarum manifestus est usus, terra et mari, alteram totam in vestra potestate esse, quantum et nunc tenetis et ubi plus volueritis; nec quisquam est, neque rex, qui vos praesente belli apparatu in-

structos atque navigantes impediverit, neque alia ulla gens e praesentibus, ita ut hoc imperium ad utilitatem aedificiorum vel agri, quibus ut magnis quibusdam rebus vos privatos esse creditis, comparanda non videatur. Neque par est indignari vos iis magis, neque uti hortum potius atque divitiarum decus prae ea existimantes eam vilipendisse, et perspexisse, libertatem quidem, expetitam et possessam, facile recuperaturam esse, aliis autem quum obtemperaveritis, etiam parta bona solere imminui; par autem est vos non inferiores patribus utrinque videri, qui res labore partas neque ab aliis acceptas retinuerunt, et insuper conservatas eas nobis tradiderunt; (trupius autem est, possidentem iis privari quam anquirentem infeliciter rem gerere) obviam autem eundum est hostibus non solum cum confidentia, verum etiam despicientia. Iactantia enim etiam per imperitiam felicem vel ignavo innascitur, despicientia autem ei inest, qui vel consilio confidat, adversariis se praestare, quod vobis evenit. Atque audaciam ab aequa fortuna profectam prudentia ex animi celsitate enata magis confirmat, spei autem minus fudit, cuius vis in dubio est, sed consilio e praesentibus rebus nato, cuius prudentia firmior est.

Par autem est vos dignitati urbis propter imperium, quo cuncti lae- **C. LXIII.**
tamenti, consulere, neque fugere labores aut ne honores quidem consecrari, neque existimare de hoc tantum, de servitute pro libertate, certamen esse, verum etiam de imperii iactura, et de periculo earum rerum, ob quas imperantes odio fuitis: a quo ne discedere quidem vobis amplius licet, etiamsi quis hoc in praesentia veritus, inertem se praehendo bonum virum se praestare credat. Nam tanquam tyrannidem iam id tenetis; occupare quidem id iniustum videtur, deponere vero periculosum. Celerrime autem urbem tales viri, ubi partim aliis hoc persuaserunt, partim suis ipsis legibus libere vixerunt, perdidérunt. Otium enim non servatur nisi cum industria coniunctum, neque tam in civitate principatum tenente quam in oppressa secure servire iuvat.

Vos vero neque ab his talibus civibus decipiāmini, neque mihi succense- **C. LXIV.**
tis, (quocum etiam ipsi decrevistis bellum) si quidem et hostes nos aggressi fecerunt, quae quidem eos facere par erat, quum vos obsequium recusaretis; atque accidit praeterea, contra atque exspectabamus, hicce morbus, quae res utique omnium spe maior exstītit; et propter eum novi me ex parte maiore etiam in odio esse; immerito, nisi etiam, quando praeter opinionem aliquid bene gesseritis, id mihi tribueritis. Oportet autem nos, quae a diis illata sunt, necessario, quae ab hostibus, fortiter ferre. Haec enim et antea in more huic urbi erant, neque nunc per vos impediantur. Cognoscite autem maximum eam nomen apud omnes homines habere, quae calamitatibus non succumbat, plurimos autem milites et labores bello impenderit, et maximam potentiam usque ad hoc tempus tenuisse, cuius in aeternum apud

posteros, licet nunc aliquando succumbamus, (natura enim ita comparatum est, ut omnia decrescant) memoria relinquetur; nos autem Graecos Graecis plurimis imperasse et gravissima bella quum adversus universos tum aduersus singulos sustinuisse, urbem autem omnibus copiis abundantem atque maximam inhabitasse. Quamquam haec quidem ignavus reprehenderit; qui vero gnavus esse voluerit, is ipse aemulabitur; si quis vero non possideat, invidebit. Accidit autem, ut odiosi et molesti omnes praesente tempore sint, quicunque aliis imperare voluerunt. Quicunque vero de maximis rebus invidiam suscipit, recte deliberat. Odium enim non diu durat; atque non solum praesens splendor, verum etiam gloria apud posteros aeterna memoria viget. Vos vero, qui partim id, quod futurum est honestum, praevidistis, partim id, quod praesente tempore non turpe est, iam bono animo utrumque vobis comparete: atque nunc neque cum Lacedaemoniis per praecones agite, neque ostendite vos praesentibus laboribus premi, quod, quicunque miseriis laborantes animo minime affliguntur, re autem maxime resistunt, quum civitates tum privati homines, caeteris longe praestant.

C n e m i
ad Lacedaemonios oratio.

Thucyd. L. II.

C.LXXXVII. Si quis forte vestrum, Lacedaemonii, propter proelium navale, quod commissum est, hoc, quod futurum est, metuit, neutiquam hic metus iustum habet causam. Nam quum apparatu belli, ut nostis, inferiores eramus, tum neutiquam, navale potius quam terrestre bellum ut gereremus, navigabamus. Accidit praeterea, ut fortuna non minimum adversata sit. Atque nonnihil ipsa imperitia rei navalis nos primum navale proelium commissuros decepit; unde non ignavia nostra evenit, ut inferiores essemus. Sed ne fas quidem est, quorum mens non vi oppressa est, sed constantiam aliquam ipsa exhibet, infortunio, quod nobis accidit, hebetari, sed existimare, casu fieri posse, ut homines in errorem inducuntur, mentem vero eorundem semper constantem atque rectam esse, neque imperitiam, quum virtus adsit, praetexentes, merito aliqua in re ignavos esse. Vos vero ne imperitia quidem tanto ceditis, quanto audacia praestatis. Horum autem scientia, quam quidem maxime reformidatis, coniuncta cum fortitudine etiam habebit memoriam instantे periculo perficiendi ea, quae didicit, sed sine animi praesentia nulla ars adversus pericula valet. Metus enim mentem de statu deficit, ars autem fortitudine destituta nihil iuvat. Maiori eorum peritiae maiorem opponite audaciam, timorem autem vestrum ob cladem acceptam comparete cum eo, quod tum imparati fuimus. Insuper vobis et multitudo navium adest, et in terra patria vobis, quum praesto sint gravis armaturae

militēs, navalem pugnam committere licet. Plerumque vero penes eos, qui et numero superiores et melius instructi sunt, victoria est. Quare ne unam quidem causam invenimus, cur merito vincamur, et quaecunque prius peccavimus, ea ipsa quum nunc supervenerint, disciplinam nobis praebebunt. Bono igitur animo vos et gubernatores et nautae suum quisque ordinem sequimini, non derelicto loco, quo quis collocatus fuerit. Nos vero non deterrius quam superiores duces incurandi commoditatē parabimus, neque occasionem cuiquam praebebimus, qua ei ignavo fieri liceat. Quodsi cui ea voluntas fuerit, afficietur debita poena; fortis autem debitissimis virtuti prae- miis ornabuntur.

P h o r m i o n i s
ad Athenienses oratio.

Thucyd. L. II.

Quum videam vos, milites, multitudinem hostium metuentes, convo- C. LXXXIX.
cavi vos, ea, quae non metuenda sunt, a vobis metui indignum iudicans. Hi enim primum quidem, quia a nobis olim devicti sunt et ne ipsi quidem vobis pares esse arbitrantur, hanc multitudinem navium neque parrem numero compararunt; deinde (quo maxime freti accedunt, quasi conveniat sibi fortibus esse) non alia de caussa confidunt, nisi ob pugnae pedestris peritiam, qua plurima bene gerunt, atque existimant, etiam in pugna navalı eandem idem sibi praestitaram. Fiducia maior merito nobis nunc futura est, si quidem et illis in illo belli genere. Nam animo quidem nihil praestant; cuius autem rei utrique maiorem peritiam habemus, ea utrique sumus audaciores. Lacedaemonii vero quum per suam gloriam sociis praesint, invitatos adducunt plerosque in periculum, nec fere suscepissent multum devicti bellum iterum navale gerere. Ne vero audaciam eorum metuatis. Multo maiorem vero vos illis metum iniciatis et certiorem, quum quia prius eos devicistis, tum quod non existimant nos, nisi eximium quoddam facinus edere velimus, obviam ituros. Plerique enim adversarii, ut hi, opibus suis potius freti quam prudentia, hostem invadunt; alii vero multo minore apparatu instructi, simulque nulla vi coacti, multum consilio suo freti contra audent. Quae reputantes propter insolentiam rei magis nos metuunt quam propter iustum apparatus. Multi etiam exercitus iam a minoribus propter imperitiam devicti sunt, nonnulli vero etiam propter ignaviam; neutrius autem nos participes sumus. Certamen autem neque in sinu, quantum per me licet, in ibo, neque ingrediar in eum. Video enim adversus multas naves non exercitatas paucis navibus

exercitatis et melius navigantibus angustias freti incommodo esse. Neque enim navem adduxerit aliquis, ut par est, ad impetum faciendum, nisi hostem e longinquo conspicerit, neque vero recesserit iusto tempore angustiis rerum pressus. Et neque transitus fieri possunt neque conversiones, quae quidem navium melius navigantium sunt, sed navale proelium oporteat terrestre proelium fieri, ubi multitudo navium plus valet. His igitur ego, quantum fieri potest, providebo. Vos vero apud naves bene instructi remanentes imperatis celeriter obsequimini, praesertim quum brevi intervallo impetus fiat, et in certamine ipso ordinem et silentium plurimi facite; quod quidem quum saepe in bellicis rebus prodest, tum in pugna navalii plurimum. Defendite vero hos, ut dignum est iis, quae prius gesta sunt. Magnum autem certamen vobis instat, ut aut spem, quam Peloponnesii in re nautica posuerunt, evertatis, aut Athenienses de maritima re magis metuant. Admoneo autem vos, quod plurimos eorum devicistis. Victi autem non eadem audacia eadem pericula subire solent.

Pro dici
de Hercule in bivio commentatio.

Xenoph. Memorab. L. II. C. I.

Prodicus ille sapiens in commentario de Hercule, (qui quidem plurimis recitatur) similiter de virtute pronuntiat, in hunc fere modum disserens, quantum ego memini.

Dicit enim, Herculem, quum ex pueris ad adolescentiam excederet, (qua quidem aetate iuvenes iam sui iuris facti declarant, utrum eam viam, quae virtutis est, per vitam ingressuri sint, an eam, quae pravitatis est) digressum in solitudinem consedisse, dubitatem, utram viam ingredetur. Ac visas ei esse duas mulieres accedere statuta magnas, alteram speciosam visu et liberalem natura, munditie corpus cultam, verecundo vultu, habitu modesto, veste alba; alteram vero ad pinguedinem et mollitiem bene nutritam, fucatam colore, ita ut magis alba et rubra, quam reapse erat, esse videretur, statuta autem ea, ut magis procera, quam ipsa erat, esse videretur, oculi multum patentes essent, vestis autem ea, per quam coloris bonitas perluceret maxime, intuitam vero saepe semet ipsam esse, conspexisse vero etiam, an quis alias ipsam spectaret, saepe vero etiam ad suam ipsius umbram respexisse. Quum vero propius ad Herculem accessissent, eam, quam priore loco dixi, eodem modo processisse, alteram vero, anteverttere eam cupientem, accurrisse ad Herculem atque dixisse: Video te, Hercule, dubitare, qualem viam per vitam ineas. Ubi igitur me amicam tibi feceris,

et iucundissima et facillima via te ducam, ac nullam voluptatem non degustabis, molestiarum autem expers vitam transiges. Primum enim non bella ac ne negotia quidem curabis, sed in contemplando versaberis, quem vel cibum vel potionem tibi gratam invenias, aut quid visu aut quid auditu iucundum tibi fuerit, aut quid odoratu aut tactu gratum fuerit, qui busve deliciis usus maxime exhilareris, quomodo mollissime dormias, et quomodo sine omni labore ea omnia consequi possis. Ubi vero suspicio inopiae tibi aliquando fuerit, unde tibi ea suppetant, ne metuas, ne te ita ducam, ut corpore et animo laborando et aerumnas perferendo ea tibi compares; sed quae caeteri labore sibi acquisiverunt, eorum tu fructum percipies, nulla re ut abstineas, unde aliquid lucrari possis. Undique enim proficiendi iis, qui mecum versantur, facultatem ego facio.

Quibus auditis Hercules: O mulier, inquit, nomen quodnam tibi est? Illa: Amici quidem mei me Beatitatem appellant, osores autem me carpturi appellant me Pravitatem.

Atque interea altera mulier, quae advenerat, dixit: Ego quoque conveni te, Hercule, quae norim parentes tuos, atque ingenium tuum pueri cognoverim, unde spero fore ut, si viam, quae ad me dicit, ingredi velis, pulcherrimas et honestissimas res perficias, atque ego multo etiam honorificentior et bonis illustrior conspiciar; nec vero decipiam te voluptatis illecebris, sed quemadmodum dii ordinarunt, quales res ipsae sunt, enarrabo verissime. Eorum enim, quae bona et pulchra sunt, nihil sine labore et diligentia dii hominibus impertiunt, sed sive deos tibi propitos esse vis, colendi sunt dii, sive ab amicis diligi cupis, amicis beneficia praestanda sunt, sive a civitate aliqua honorari cupis, civitati consulendum est, sive apud totam Graeciam virtutum tuarum admirationem initurus es, de Graecia ut bene merearis tibi studendum est, sive terram fructus tibi ferre uberrimos cupis, terra tibi colenda est, sive e pecudibus opes tibi colligendas existimas, pecuariae rei curam geras, sive bello honores consequi cupis et facultatem illam adipisci quum amicos in libertatem vindicandi tum hostes devincendi, bellicae artes vel ipsae a peritis discendae sunt et, quomodo eae adhibendae sint, exercendum. Si vero et corporis robore praestare cupis, corpus rationi ut pareat, assuefaciendum est atque exercendum laboribus atque sudore. Atque Pravitas, teste Prodigio, eum interpellans: Videsne, Hercule, inquit, quam difficultem et longam viam ad voluptates haec ipsa mulier tibi monstrat; ego vero facili, expedita et brevi ad felicitatem te ducam. Atque Virtus: O misera, inquit, quid vero tu boni habes, aut quid dulce nosti, nihil horum causa susceptura? quippe quae ne voluptatum quidem desiderium exspectes, sed priusquam concupisti, omnibus illis implearis; quum antequam esuris, edas, et antequam sitis, bibas, et quo delicate comedas, coquos tibi compares; ut voluptuose autem bibas, vina et pretiosa

parest et aestate discursans nivem conquiras; ut autem suaviter dormias, non solum vestes stragulas supponas, sed etiam lectos et fulcra lectorum pares, ut penduli sint. Non enim propter laborem, sed quia nihil habes, quod agas, somnum expetis. Immortalis vero quum sis, e consortio deorum exclusa es et a bonis hominibus repudiari; acroama autem omnium suavissimum, paeconium tui, nunquam audis et spectaculum omnium iucundissimum nunquam spectasti. Nullum enim unquam pulchrum tuum facinus vidisti. Quis autem dicenti tibi aliquid fidem habuerit? quis roganti tibi aliquid praebuerit? aut quis bene moratus tuae societatis esse velit? Nam dum iuvenes sunt, corpore non valent, proiecti autem aetate ingenio delirant; qui per inertiam delicate iuventutem transigunt et cum labore sordidi senectutem peragunt, praeteritarum rerum pudore affecti et praesentibus afflicti, qui voluptates per adolescentiam exhauserunt, molestias autem ad senectutem sibi seposuerunt. Ego vero versor cum diis, versor cum hominibus bonis; nullum autem neque pulchrum nec divinum nec humandum facinus sine me perficitur. Honos autem mihi omnium maxime exhibetur et a diis et ab hominibus, a quibus fas est. Amata enim sum artificum socia, fida familiarum dominis custos, benevola domesticis adiutrix, bona auxiliatrix operum, quae pacis sunt, constans bellicarum rerum socia, optima amicitiae consors. Est autem amicis meis gratus et facilis cibi et potionis usus; sustinent enim, dum appetitum habent. Somnus autem iis obrepit dulcior quam inertibus, et neque excitati ex eo indignantur, neque per eum se remittunt, quominus officia sua peragant. Ac iuvenes quidem senum laudibus gaudent, senes autem iuvenum honoribus laetantur et lumenter rerum olim gestarum meminerunt et, quae agenda sunt, agere eos iuvat, ita ut per me amici diis sint, dilecti amicis, honorati patriae. Ubi vero fatale illud tempus advenerit, non oblivione capti inglorii iacent, sed memoriae hominum commendati in omne tempus carminibus celebrati vivent. His tibi, o optimis parentibus prognate, Hercule, perfungenti felicissimam et beatissimam vitam transigere licet.

In hunc fere modum Prodicus disciplinam, qua Hercules a virtute institutus erat, enarrat; ornavit tamen has sententias multo splendidioribus verbis, quam ego nunc ornavi. Te igitur decet, o Aristippe, haec tecum reputantem earum rerum, quae aliquando in vita futurae sunt, curam suscipere.

Schul-Nachrichten.

Erster Abschnitt.

Allgemeine Lehrverfassung.

A. Religions-Lehre.

I. Für die katholischen Schüler.

1. Prima und Secunda superior. Die Erkenntnißquellen der christlichen Offenbarung. Die Lehre von den Pflichten gegen Gott und gegen uns selbst. 2 St.
2. Secunda inferior. Die Lehre von der Heiligung und Vollendung des Menschen. Allgemeine Grundlehren der Sittenlehre. 2 St.
3. Tertia. Die Lehre von Gott als Schöpfer und Erlöser. Die Lehre von der Gnade und den Gnadenmitteln. 2 St.
4. Quarta. Wiederholung der Glaubens- und Sittenlehre. 2 St.
5. Quinta. Die Sittenlehre. Die biblische Geschichte des A. und N. Bundes. 2 St.
6. Sexta. Die Glaubenslehre. Die biblische Geschichte des A. Bundes. 2 St.

Prof. Hagemann.

II. Für die evangelischen Schüler:

1. Prima und Secunda sup. Aussführliche Darstellung der christlichen Religionslehre, zweite Hälfte: die christliche Lebenslehre. Geschichte der christlichen Religion, zweite Hälfte. Lesung und Erklärung des Evangeliums Matthäi, so wie der Briefe Petri. 2 St.
2. Secunda inf. Beschreibung des jüdischen Landes, besonders zu den Seiten Jesu Christi. Aussführliche Einleitung in die Schriften des A. und N. T., verbunden mit einer erläuternden Lesung und Erklärung einzelner Bücher und Abschnitte der heil. Schrift. 2 St.
3. Tertia. Die Grundlehren des Christenthums in einer kurzen Wiederholung der christlichen Glaubenslehre, und einer genauen Erörterung der christlichen Lebenslehre. Aussführliche Geschichte der geoffenbarten Religion des A. und N. T. mit steter Benutzung der Bibel. 2 St.
4. Quarta. Die Grundlehren des Christenthums in einer genauen Erörterung der christlichen Glaubenslehre und einer kurzen Uebersicht der Pflichtenlehre. Kurze Einleitung in die biblischen Schriften. 2 St. Prof. Budde.
5. Quinta. Die Geschichten und Grundlehren der heil. Schrift nach Kohlrausch's Auszuge. 2 St.
6. Sexta. Wie in Quinta. 2 St. Dr. Clausen.

B. Sprachen.

I. Lateinische Sprache.

1. Prima. Ciceronis Tuscul. statarisch; und ausgerlesene Stellen cursorisch; im Sommersemester: Ciceronis Brutus und ausgewählte Stellen aus Tacitus. Extemporalien, Aufsätze und Disputationen. 8 St.
Horatii Sat. mit Auswahl; Ars poetica und einzelne Elegien aus Tibullus und Propertius. 2 St. Prof. Dr. Hildebrand.
2. Secunda sup. Cic. pro lege Manilia, pro Roscio Amerino, pro Murena. 3 St. Livius Lib. III.—IV, 12. cursorisch. 1 St. Grammatik, Extemporalien, Exercitien, freie Arbeiten. 3 St. Prof. Dr. Cromé.
Horat. Od. und Epop. mit Auswahl. 3 St. Brüggemann.
3. Secunda inf. Cic. pro Roscio Amerino, pro Ligario, in Catili-

- nam I. und II. 4 St. Livius Lib. xxiv. — xxv, 8. cursorisch.
 1 St. Virgilii Aeneis Lib. VI. — VIII, 520. verbunden mit Vers-
 übungen. 3 St. Exercitien und Extemporalien. 2 St. Oberlehrer Grashof.
4. Tertia. Jakobs und Döring's lat. Elementarbuch, 3ter Cursus, die aus Cæsar aufgenommenen Stellen ganz, und einige Stücke aus Curtius. Cic. de amicitia bis c. 16. Grammatik nach Zumpt mit mündlichen und schriftlichen Exercitien nach Kraft und nach Diktaten. 6 St. Ovidii Met. sel. und Prosodie. 4 St. Hr. Candidat Helm.
 5. Quarta. Die 13 letzten Biographien von Cornelius Nepos. Grammatik nach Zumpt; schriftliche Uebersetzungen aus Dronke und Andern. 6 St. Prof. Hagemann.
 - Phaedri Fab. mit Auswahl und Prosodie. 3 St. Hr. Dr. Clausen.
 6. Quinta. Wiederholung der Formenlehre; die ganze Syntax nach Zumpt's kleiner Grammatik. — Jakobs und Döring's lat. Elementarbuch S. 14.—28. und 38.—83. Mündliche und schriftliche Übungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische. 10 St. Hr. Holl.
 7. Sexta. Die Formenlehre und die Hauptregeln der Syntax nach Zumpt's kleiner Grammatik. Zur Einübung derselben wurden „Hoegg's Übungsstücke“ theils mündlich, theils schriftlich ganz übersezt. 12 St. Oberlehrer Höngmann.

II. Griechische Sprache.

1. Platonis Ion, Menon und Protagoras. Griechische Scripta. 4 St. Sophoclis Antigone und Philoctetes. Einzelne Stellen aus Homeri Ilias. 3 St. Brüggemann.
2. Secunda sup. Jakobs Attika, statarisch. Einzelne Stellen aus Herodotus, cursorisch. Griechische Scripta. 4 St. Prof. Dr. Hildebrand. Homeri Ilias. Lib. XIII. — XXIV. 3 St. Oberlehrer Dr. Fichte.
3. Secunda inf. Xenoph. Anab. Lib. III. und IV. 2 St. — Herodoti Lib. V. — VI, 23. cursorisch. 1 St. Homeri Odyss. Lib. V. — XI. 3 St. Schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen ins Griechische zur Einübung der Syntax. 1 St. Oberlehrer Grashof.
4. Tertia. Jakobs Elementarbuch S. 69. — 103. und 217. — 226. Gram-

matik nach Buttmann. Schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische. 6 St. Hr. Holl.

5. Quarta. Die Formenlehre bis an die Verba in *μι*. — Jakobs Elementarbuch bis S. 48. — Mündliche und schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische, nach Blume's Anleitung. 6 St. Hr. Dr. Clausen.

III. Hebräische Sprache.

1. Prima. Psalm 94. — 117. Syntax mit steter Einübung der Formenlehre. 2 St.
2. Secunda sup. Der etymologische Theil der Grammatik von dem Verbum mit Suffixen an. Lesung ausgewählter Stücke aus dem Buche der Richter, beides nach Gesenius. 2 St. Prof. Dr. Cromé.

IV. Deutsche Sprache.

1. Prima. Deutsche Litterärgeschichte von 1534 bis auf die gegenwärtige Zeit. Recension der schriftlichen Arbeiten; Disputir- und Redeübungen nach vorgeschriebenen Themen. 2 St.
2. Secunda sup. Allgemeine Stillehre. — Deutsche Litterärgeschichte, übersichtlich von den ältesten Zeiten bis auf 1534; genauer und mit ausgewählten Stellen und Sprachproben aus den einzelnen Schriftstellern bis auf Haller und Bodmer. Recension der schriftlichen Arbeiten und Uebungen im freien Vortrage nach vorgeschriebenen Themen. 2 St. Oberlehrer Dr. Fichte.
3. Secunda inf. Die Laut- Wort- und Satzlehre der hochdeutschen Sprache. Erklärung prosaischer und poetischer Stücke. Schriftliche Arbeiten und Uebungen im mündlichen Vortrage. 3 St. Oberlehrer Dr. Hülstett.
4. Tertia. Die Laut- und Wortlehre. Erklärung prosaischer und poetischer Stücke. Schriftliche Arbeiten und Uebungen im mündlichen Vortrage. 3 St. Oberlehrer Dr. Hülstett.
